



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton


Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio CIV. De clavis & lancea, quibus sacratissimum corpus Jesu crucifixi perforatum fuit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

fixus Dominus: *Fili, ubi cibus tibi aridior, lectus durior, molestiores fuerint vigilia, ingredi in vulnus hoc, & intinge illa in sanguine lateris mei, & illa dulcescent omnia.* Obtemperavit Juvenis monenti, sanctè vixit, & inter amplexus crucifixi Amoris sui beatam animam expiravit.



CONSIDERATIO CIV.

De clavis & lancea, quibus Sacratissimum Corpus Jesu crucifixi perforatum fuit.

Foderunt manus meas, & pedes meos. Psal. 21. 15.
Unus militum lanceâ latus ejus aperuit. Jo. 19. 34.

I.

Habac. 3. 4.
 S. Cyprian.
 de Pass. Chr.

REstè Habacuc Propheta de Christo, suo tempore pro salute totius generis humani crucifigendo vaticinatus est: *Cornua in manibus ejus.* Supra quod pereleganter S. Cyprianus antiquitate, doctrinâ, & sanctitate celeberrimus hanc tulit sententiam: *Erant in manibus ejus duo cornua (duo nimirum clavi ferrei) in quibus erat sortitudo tua abscondita, & imperium tuum.* Ex mox addit: *Consideravi opera tua, & expavi: Clavis sacros pedes terebrantibus, fossis que manibus de vulnere &c.*

Fuit autem mitissimus Dominus in crucis trunco quatuor affixus clavis ferreis, licet hoc Scriptura non indicet, efficax tamen probat ratio, & S. Joannes, qui huic cruentæ interfuit crucifixioni, ait: *Milites ergo cum crucifixissent Jesum, acceperunt vestimenta ejus, & fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem.* Ex quibus verbis SS. Patres annotare solent, quòd quatuor fuerint crucifixores, & quòd Christus non tribus, sed quatuor oblongis clavis fuerit affixus cruci.

Quod etiamnum probant antiquissimæ crucifixi Salvatoris nostri imagines, prout videre est Romæ apud S. Petrum, & apud S. Joannem Lateranensem; Item Lucæ in Hetruria in imagine lignea per Nicodemum pro sua devotione excisâ, & Syroli propè Lauretum, imò in ipsa Alma Domo, ubi Verbum Divinum incarnatum fuit, &

Apo-

Apostoli consecrarunt; Et Assisi in monasterio S. Claræ, ubi veneratus sum antiquissimum crucifixum non sculptum, sed in affere pictum quatuor clavis, qui ad S. Franciscum dixit: *Vade Francisce, repara domum meam.* Mitto quàm plurimas alias antiquitates.

2. Sed miror, quare Ecclesia de crucis ligno & clavis Dominidicere soleat: *Dulce lignum, dulces clavos, dulcia ferens pondera,* in quibus verbis S. Didacus, exosculans crucem, spiritum Deo reddidit; E contra lanceam diram ac crudelem appellat: *Mucrone dirò lancea.* Et nunquid potius lancea dulcis debuisset vocari, quæ Christo jam vitâ functo latus aperuit, ubi non ampliùs ei cruciatum ac dolorem causavit? Priusquàm hanc solvamus quæstionem, audiamus quid Romæ acciderit.

Refert Titus Livius de Tarquini Superbi impia filia. Cùm ejus parens crudelem in modum è medio per hostes conjuratos sublatus esset, & nunc cadaver recentibus sauciatur vulneribus in publica jace-ret, obvians filia in curru, Rhedarium ad tam lamentabilem aspectum currum suum firmantem, animavit, ut scuticam admoveret, & sine respectu supra corpus Patris equos & rhedam agigaret: *Nunquid corpus patris mei retardare poterit cursum itineris mei?* Ex quo factum, quòd Tarquinius Rex licet jam mortuus equorum ferreis unguis ac ferratis rotis penè contritus fuerit. Monstratur hic locus Romæ adhuc hodie, qui olim Tullia Tarquini, nunc vicus sceleratus vocatur.

Anime mi, aspice crucifixum Jesum tuum, qui clavos vivens perpeffus est, sed lanceam mortuus, unde ira ac crudelis vocatur, quia in mortuum deserviit Authorem vitæ: *Dulces igitur clavi,* ait Mallon, c. 20. de S. Sind. *dulce lignum, quod in vivum Christum suam exercuit crudelitatem; dira lancea, qua in cadaver suam savitiam effudit &c.* Quòd Carnifices illi non fuerint emolliti, qui manus ac pedes Christi trabalibus terebrarunt clavis, non miror, quia infideles erant, sed hoc est prodigium summæ ingratitude, si Christianus aspiciens & contemplanus crucifixum Redemptorem suum, non aliquo pio sensu moveatur.

3. *Foderunt manus meas, & pedes meos,* ait Psaltes Regius, & Evangelista: *Unus militum lanceâ latus ejus aperuit.* Ecce uterque vigilantibus utriusque usus est: *Foderunt manus meas & pedes meos,* cur non dixit: *Terebrarunt, transfixerunt, penetrarunt, aut transadigerunt manus ac pedes ejus?* R. Primò: corpus Christi fuit terra illa benedicta, quæ effossa ferro multum, imò centesimum fructum attulit, unde Poëta: *Fossa caro Christi cœlica regna dabit.* Foderunt secundò manus meas & pedes meos clavis, ut exinde prorumperent quatuor fontes paradisi & omnium gratiarum, quibus irrigatur universa terra. Foderunt tertio manus

Pfal. 103. 18.
Cant. 2. 4.

Jo. 10. 9.

S. Bernhard.
serm. 21.

S. Th. 3. p.
q. 46. a. 6.

Baron. ad an.
Chr. 34.

manus & pedes Christi, ut in cuius petrae foraminibus omnes peccatores verè contriti securum in vita & morte invenirent refugium: *Petra refugium heremiacis.* Ad quam petram idem sanguinum Sponsus dilectam suam animam invitat: *Columba mea in foraminibus petrae, & in caverna maceria.* Addit Evangelista: *Unus militum lancea latus ejus aperuit, Et cur aperuit, & non transiit, transverberavit, trajecit? Observa: Vigilanti verbo usus est Evangelista: Janua clausa adaperiri solet, vita janua est apertum latus Christi, ad quod referandum Longinus lancea sua, tanquam clave usus est; audi ipsam Veritatem: *Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur: Et ingredietur, & egredietur, & piscua inveniet.* O nos felices, quia in his sacris vulneribus in omni tribulatione nostra, in vita & in morte certum possumus invenire auxilium. Juvat hic pro solatio nostro audire Doctorem Mellissimum: *Foderunt, inquit, manus ejus & pedes, lateraque lancea foraverunt, & per has rimas licet mihi sugere mel de petra, oleumque de saxo durissimo; id est, gustare & videre, quoniam suavis est Dominus. Cogitabat cogitationes pacis, & ego nesciebam. Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? At clavus referans, clavus penetrans factus est mihi, ut videam voluntatem Domini. Quidni videam per foramen: Clamat clavus, clamat vulnus, quod verè Deus sit in Christo mundum reconcilians sibi: Ferrum pertransit animam ejus, & appropinquat eor illius; ut non jam non sciat compati infirmitatibus meis. Patet arcam cordis per foramina corporis, patet magnum illud pietatis Sacramentum, patent viscera misericordia Dei nostri, in quibus visitavit nos Oriens ex alto. Quidni viscera per vulnera pateant? in quo enim clarius, quam in vulneribus tuis cluxisset, quod tu Domine suavis & mitis, & multa misericordia? Majorem enim miserationem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro addictis morti & damnatis.* Hæc S. Bernhardus.*

4. Cæterum pientissimi Redemptoris nostri dolores ob hujusmodi transfixionem clavorum fuerunt vehementissimi. Ita S. Thomas: Configuntur, ait, in locis nervosis & maxime sensibilibus, scilicet in manibus & pedibus, & ipsum pondus corporis pendentis continè augeat dolorem, & cum hoc etiam doloris diuturnitas, quia non statim moriuntur, sicut hi qui gladio conficiuntur. Quod idem confirmat Lanspergius: Clavos quibus Christus cruci affixus fuit, adeo grossitie Vulnera manuum opplevisse, ut sanguis prodire non posset, donec totum corporis pondus manibus sic affixis sustentaretur: tunc enim laxatâ manu vulnera, sanguine ubertim erumpente manarunt.

De his quatuor clavis recenset ulterius Metaphrastes & Cardinalis Baronius, quod eos quidem dolorosissima Mater & Virgo, cum
Filius

Filius de cruce deponeretur, diligenter collegerit, sed quia apud Judaeos consuetudo erat, ut cuncta instrumenta, quibus fontes & rei necabantur, eadem die humi defoderentur, eosdem quoque cum cruce sepeliendos tradidit, donec ab Helena pientissima Imperatrice anno Christi 326. cum Dominica cruce fuerint reperti, quos Romam ad Constantinum M. filium attulit, qui unum in casside ad avertenda in bello pericula gestabat; Secundò frænum equi munivit, quo facilius victoriam ex hostibus referret; & hic Mediolani religiosè aservatur. Tertium in mare Adriaticum dimisit, & sic navigabile fecit, ac mirum in modum tranquillavit; Quartum in corona sua regia, quam ut Imperator gestare solebat, infixit, qui etiamnum hodie Romæ in Ecclesia S. Crucis non sine magno pietatis sensu certis temporibus monstratur. Si quos verò alios clavos aliis in locis reperiri audias, eos vel ad similitudinem eufos, parte aliquâ veri clavi immisâ, credas, ut fidelium devotioni fieret satis.

Quod concernit Sacram Lanceam, ipse miles Longinus hanc sibi reservavit, quod sacrum pignus postea in manus Imperatoris Constantinopolitani pervenit, qui cuspidem illius Regi Francorum dono misit. Anno Christi 1453. ubi civitas Constantinopolitana in manus Machumeti Secundi Turcarum Imperatoris devenit, succedens in regno filius Bajazetus eam Innocentio VIII. Pontifici Max. per Legatum Romam transmissit, ubi adhuc hodie in Vaticano universo populo præ devotione acclamante ostenditur. O Jesu!
 confige timore tuo carnes meas.

Quaref. 10.
 c. 11. sect. 9. 2.



Ginther Unus pro omnibus.

Ddd

CON-